



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 45. Dissidia inter Bavariæ Duces.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

literis exponebat, se magno animi sui Sæcul. XV.
dolore intellectissime, quod, licet Wences- A. C. 1417.
laum & Nobiles iterato adhortatus fuis-
set, indies tamen mala crescerent, ac Cle-
ricalis omnino expoliatis, sanctissima quæ-
que polluerentur, ipsique Viri Ecclesia-
stici ejusmodi profanationibus consenti-
re cogerentur, ac præterea Laici innu-
meris ferme crudelitatibus Sacerdotes
vexarent, atque carceribus mancipatos
atrocissimis cruciatibus ad abjurandam
fidem orthodoxam compellerent, necnon
palam adversus Constantiensis Synodi
Decretum de Communione frivola edicta
affigere præsumerent. Accusat quoque
Wenceslaum, tanquam horum criminum
fautorem, aut saltem in hac caussa per-
nicioſæ conniventiae reum. Epistola
hæc data est tertia Septembbris, sed o-
ptato effectu caruisse videtur, Hussitarum
enim furor non deferuit, imo contra i-
psum Sigismundum insurrexit.

§. XLV.

Dissidia inter Bavariæ Duces.

Sub idem tempus fervida contentio in- *Idem to.4.*
ter Duces Bavariæ exorta, non mo- *p. 1221.*
dice turbavit Constantienses Patres. Jam
ante aliquot menses Guilielmus, & Er-
nestus fratres, ac Bavariæ Duces, item-
que Henricus eorum Patruelis Constan-

U 4 tiæ

Sæcul. XV. tiæ advenerant, ut adversus Ludovicum
A.C. 1417. Bavaram Lineæ Ingolstadiensis, eorum
cognatum & Caroli VI. Galliarum Regis
fororum judicum opem implorarent:
Ille enim opibus auctus, quas ferventibus
Gallorum dissidiis cumulaverat, in Bava-
riam rediit, ubi prospera sorte elatus ad-
versus conjunctos Duces, aliosque vici-
nos Principes atrocem exercuit tyranni-
dem (*). Idem quoque coram Impera-
tore actionem instituit in Guilielmum Er-
nestum, & Henricum, divisionem Bava-
riæ suo damno factam, annuamque pen-
sionem sibi stipulatam non fuisse solutam
conquestus. Comparuit in Comitiis sta-
tuuim Imperii, petiit dilationem, variis-
que tergiversationibus moram nectere
conatus, Cæsarem insolentioribus verbis
infecta-

(*) Parcius ista Viro! similia fideliores
tacent Annalistæ Boici, quamvis in aliis Ludo-
vico non parcant, quæ tamen omnia vera
pœnitentia diluit. Trithemius Chron. Duc.
Bav. de eo scribit. *Vir erat probus, iustus &*
sanc tus, ac de ejus laudibus librum exaran-
dum esse testatur. Ipse Hybner. part. 5. l. 2.
fol. 325. de eo refert: Was er sonst im Ver-
mögen hatte, das gab er den armen Leuthen,
dergleichen er fast alle Tage tausend auf sei-
ne Unkosten trachten ließ. Hæc sane tyran-
nidem non indicant,

infectatus est. Hæc tamen caufsa deci-^{Sæcul. XV.}
fa non fuit, & Duces, animorum exacer-^{A.C. 1417.}
batione immoderatius crescente, totum
negotium ad aliud tempus idque oppor-
tunus differendum censuerunt.

§. XLVI.

Turbæ in Galliis.

In Gallia dominandi libido usque adeo
Ducis Burgundi obsedit animum, ut ^{Juv. Ursin.}
^{Hist. Car. VI} Calleti colloquio cum Rege Angliæ
habito, inducias pro suis duntaxat ditio-
nibus renovaverit, qua agendi ratione
quodammodo fidem dederat, se Regi nul-
las unquam suppetias subministraturum.
Caleto demum Valentianas profectus,
Guilielmum Hannoniæ Comitem, nec-
non Delphinum generum suum invisit,
qui omnes tres de mutuo contra hostes
suos auxilio juratum foedus iniere. Tunc
primum Delphinus aperte contestatus est,
se Armeniacorum familiæ adversaturum,
promisitque Burgundo, se nunquam ni-
si eo comite aulam repetiturum. Quapropter
inter eos sanctum, Hannoniæ
Comes ad aulam regiam sese conferret,
ut juxta præconcepta consilia inceptam
pertexeret telam, Delphinum tamen Com-
pendii relinquaret. Hic postquam ve-
niām redeundi pro Burgundo obtainere
nequiverat, Delphinum secum reducere

U 5 commi-